

17

1678, 31^a

13

Q. D. B.

De

PRÆSCRIPTIONE
INCORPORA-
LIUM,

AUTORITATE

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

IN

FLORENTISSIMA LIPSIENSI

PRÆSIDE

MAXIME REVERENDO, PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO

ATQVE CONSULTISSIMO,

DN. BARTHOLOMÆO LEONHAR-

DO SCHWENDENDÖRFFERO,

JCTO ET CODICIS PROFESSORE PUBLICO, CUR. SUPR. PRO-

VINC. LIPSIENSIS NEC NON FACULT. JUR. ASSESSORE, CAPI-

TUL. MARTISBURG. CANONICO ET ACADEMIÆ

DECEM VIRO,

UNDIQAQVE CELEBERRIMO

AC MERITISSIMO,

PATRONO ET PROMOTORE SUO

VENERANDISSIMO,

H. L. Q. C.

DISPUTABIT

HIERONYMUS ADAM Stenger

ERPHORDIENSIS, AUTOR.

DIE XXI. FEBRUARII, M DC LXXVIII.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERI.



Reverendisfimi ac Serenisfimi Principis

ac DOMINI,

DOMINI CHRISTIANI

Ducis Sax. Jul. Cliv. & Mont.

Postulati Administratoris Episcopatus

Martisburgensis &c.

QVATUOR-VIRIS EMINENTISSIMIS,

Pranobilisfimis, Excellentisfimis, Experientisfimo

atq; Consultisfimis,

DN. JOHANNI JACOBO FUHR-
MANNŌ,

Jcto Famigeratissimo, Aulae & Justitiae Consiliario

Gravissimo,

DN. JOHANNI WILHELMO REIN-
HARDŌ,

Toparchae in Neufirch/Webau & Uttenhausen/
Jcto Excellentissimo & Rerum Cameralium Consiliario

Splendidissimo,

DN. JOH. ERNESTO GLASSIO,

Med. Doct. longè celeberrimo & Ar-
chiatro felicissimo,

nec non

DN. LUCÆ BERGERO,

Jcto Candidissimo, Reverendiss. & Sereniss.

Domino Administratori à Consiliis &
Secretis Feudalibus,

DOMINIS, PATRONIS AC PROMOTORIBUS SUIS

venerandisfimis


Specimen hoc Juridicum

Seq; Totum

Eâ, quâ par est, animi submissione

consecrat

HIERONTMUS ADAM Stenger.



Prooemium.

Non minimam beatæ vitæ partem esse, carere litibus, fatentur sanè omnes, quotquot recta non deserit ratio, imò gemebundi agnoscunt, qui extremam hætenùs vel sunt experti vel eminùs contemplati rerum suarum per lites publicas ruinam. Mirari inde satis non possumus dementiam eorum, qui unquam de justitiâ illarum Legum, quæ rerum præscriptionem determinant, vel dubitârunt, vel quasi minùs juri naturali convenienter illæ fuerint latæ, somniârunt. Quasi verò Naturæ principiis congruum non sit, imponere per Legem unicuique rerum suarum cultum & culturam, punire dominorum negligentiam, impedire rerum confusionem, constituere dominiorum certitudinem, atque adeò Summæ Potestatis auctoritate litibus dare finem. Profectò non receditur à normâ Naturæ, ubi causa latet Utilitatis Publicæ: non transfertur Dominium cum alterius jacturâ, ubi volentis & consentientis accusatur negligentia. Optimâ igitur inventionem inter alias Respublicas Gloriosissima maximè Romanorum Civibus suis prospexit, dum variis modis acqvirendi Præscriptionis etiam addidit auxilium, ut partim dominorum in rebus suis conservandis excitaret diligentiam, partim illorum puniret negligentiam, adjiciendo alteri, qui legitimè rem hætenùs possedit, ejusdem dominium, neque permittendo, ut adimpletâ secundum leges possessione alter alteri litem ampliùs moveret, sed secuta post legitimum tempus possessori, tanquam domino, relinqueretur tranquillitas. Neque quoad restantum Corporales, verum etiam subtilissimò animò quoad Incorporales certum Præscriptionis modum variè & sparsim promulgavit, ut illarum quoque respectu lites tandem supprimerentur, & ne minima quidem beatæ vitæ pars omnibus & singulis abesset. De Posteriori, nempe de Incorporalium Præscriptione, cum Specimen aliquod Juris reddendum sit, h. l. dispiciemus.

ciemus, hōc quidem ordine, ut (1.) Generalia quaedam præmittantur, (2.)
Requisita ad Præscriptionem nostram necessaria, (3.) Remedia pro defen-
dendo eo, quod ex hac præscriptione quæsitum, legitimè competentia, &
deniq; (4.) Pugnancia vel Contraria pro tenuitate virium evolvantur.
DEUM autem Ter Opt. Terqve Max. ut capto labori clementissimè
ab Alto benedicat, brevissimis, sed ardentè, invocamus.

CAPUT I.

Exhibens Generalia de Præscriptione & quid Incorpora-
lium nomine intelligatur.

I.

Vocabulum Præscriptionis dictum est à verbo præscribere,
re, quod denotat præfinire, item mandare, certæ rei mo-
dum statuere, C. 2. de concess. præb. c. in sing. 19. dist. 86. & du-
pliciter potissimùm in jure nostro accipitur: (1.) pro ac-
quisitione per legitimam possessionem, rubr. f. de Usuc. & long. temp. præ-
scr. l. un. C. de Usuc. transf. t. t. C. de præscr. long. temp. Quamvis autem hoc
significatu cum Usucapione coincidat; tamen Leges Præscriptionis
vocabulum ferè ad Longi vel Longissimi temporis acquisitionem, U-
sucapionis verò ad alteram minoris temporis referre solent, ut vide-
re licet ex l. 54. pr. ff. de evict. l. ei à quo. 21. ff. de Usurp. & Usuc. l. quinq; pe-
dum. 5. C. fin. regund. (2) pro Exceptione, quâ removemus contra
nos agentes. Et hâc quidem significatione iterùm accipitur vel ge-
neraliter, pro qualicunq; Exceptione, rubr. ff. & C. de Exc. & præscr. l. 3.
§. 1. ff. de prævar. l. pen. & ult. C. de Exc. seu præscr. l. 29. pr. ff. de Exc. rei judic.
l. 91. ff. de Solution. l. 2. C. si contra jus vel util. & c. Habn. ad Wes. de Except.
præscript. n. 4. vel specialiter, pro ejusmodi præcipuè Exceptionibus,
quæ ex lapsu temporis descendunt, t. t. C. de præscr. 30. vel 40. ann. In
priori atqve alterâ posterioris acceptionis significatione paulò post
præscriptionem definiemus. Germanis dicitur die Verjährung.

II. Incorporalium nomen ortum est à corpore & præpositione in,
quæ aliquando in Compositione cum nomine Corporis sumitur po-
sitivè, ut patet ex rubr. & l. 3. C. de bon. vac. & de Incorp. ubi Incorpora-
tio est in fisci corpus redactio, Gothofr. in Not. ad d. rubr. hōc verò lo-
cō sumitur privativè, pro Sine: in quâ acceptione passim in Legibus
occurrit, ut in l. 9. §. 5. ibi: injussu. ff. ad L. Jul. pecul. junct. l. 3. ff. ad L. Jul.
Maj. Nov. 12. c. 3. ibi: innoxium. ut ita Incorporalium nomine signifi-
centur Entia vel Res sine Corpore: non tamen h. l. quælibet Physi-
cæ; sed

cæ; sed tantum illæ, quæ existentiam suam & definitam formam à jure acceperunt & acquiri possunt. *Vinn. Comm. in I. de reb. Corp. & Incorp. n. 2.* Germanicè dicuntur, uncorpeliche/unleibliche oder unsichtbare Güter/ Rechte oder Gerechtigkeiten etwas zu thun/ zu genießen/ zu haben oder zu fordern.

III. Describi ergò possunt Res Incorporales, quod sint qualitates vel potius relationes fundatæ in facultate seu potentiâ aliquâ morali, quâ jus circa personas vel res Corporales produxit. *Struv. Ex. 3. §. 80.* atq; hæ licet non cadant sub sensus exteriores, neq; tangi vel ad oculos demonstrari possint, uti res Corporales: cerni tamen animò atqve intelligi queunt. *vid. Strauch. diff. 7. §. 2.*

IV. Subdividuntur autem Res Incorporales, quatenus Objectum Præscriptionis constituunt, quod sint vel JURA, vel ACTIONES. Illa comparata sunt *vel circa Personas, vel circa Res.*

V. Quæ circa Personas comparata sunt, dicuntur facultates, quibus personam ex statu vel qualitate ejus Civili ad aliquid adstrictam habemus. Status ille cum vel Publicus sit vel Privatus, Jura etiam exinde progerminant vel Publica, quæ habet Respublica vel Caput ejus in Cives ac Subditos: vel Privata, quæ secundum triplicem Status Privati differentiam, Conjugalis n. Paterni & Herilis, tribuuntur Patrifamilias in Uxorem, liberos & Servos. Sed hoc sensu jura non ita commodè constituunt Obj. Præscr.

VI. Quæ circa Res inveniuntur, vel afficiunt rem extrinsecus & mediata, interveniente obligatione personæ, & vocantur Jura ad Rem: quæ pariter h. l. ad nos non pertinet, *add Vinn. Comm. in Inst. de reb. Corp. & Inc. n. 3.* vel intrinsecus & immediate, ita videlicet, ut absq; aliquâ personæ intermedia obligatione rem ipsam directò qualificent ad producendos habiles effectus illi, cui constituta sunt. Dicuntur aliàs *in Rem.* Atq; hoc posteriori sensu porrò vel afficiunt rem Corporalem nobis Propriam vel Alienam. Illa nihil aliud sunt, quàm facultates legitimæ, quæ ex dominio rei suæ unicuiq; concessæ sunt. *Eck. de A. R. D. §. 10.* Et de his quoq; nobis non laborandum erit, cum pari passu cum re Corporali ambulèt; nisi à domino aliud fortè disponatur. Hæc verò sunt certæ facultates ad alterius utilitatem in Alienâ re Corporali, salvò jure proprietatis, ad patiendum, præstandum vel non faciendum aliquid legitimè constitutæ. Et in hæc potissimum acceptione jam ad nos pertinent. Atqve iterum dici possunt vel Juris Publici, vel Juris Privati.

VII. Illa sunt, quæ Status aliquis Imperii in Alterius Status territo-

rio specialiter habet constituta, salvò ejus Jure Superioritatis. Cognominantur aliàs Regalia, specialia Emolumenta, Commoditates, Pertinentiæ, Fructûs, Accessiones, absonderliche Rechten/ Berechtigkeiten/ Nutzungen &c. *Instrum. Pac. Cesar. Gall. §. Rex tamen præter. 77. des Heil. Röm. Reichs Dienstbarkeiten/ Capitul. Invictissimi nostri Rom. Imp. LEOPOLDI, Semper-Augusti, §. 32. Inter varia istorum Jurium genera radios ostendit JUS DECIMARUM, quod ex Transact. Passav. & Pace Relig. de A. 1555. modò in districtu Evangelicor. Pontificiis, modò in territorio horum illis competit: JUS GRUTIÆ, das Floßrecht/ quando per flumen alterius ratem ducere jure licitum, Dn. Abasv. Fritsch. de jure Grut. c. 3. n. 8. 9. JUS CONDUCENDI, de quo Knichen. Comm. de Sax. non prov. jur. Cap. 5. sub voce Blait. JUS APERTURÆ, Oeffnungs-Berechtigkeit/ quando jure speciali fortalitia ac Arces alii patent, Besold. Thes. Pract. p. 2. voce Oeffnung. JUS PRÆSIDII, Besatzungs-Recht/ de quo in Instr. Pac. Caf. Gall. cit. §. Rex tamen 77. JUS FORESTI & Venationis in alterius Sylvis & agris, Knich. de Jur. Territ. c. 4. n. 359. seq. JUS WILDFANGIATUS, de quo Idem de Vestiturar. pact. p. 2. c. 3. n. 27. Limn. de J. P. Lib. 3. c. 9. n. 84. Burgold. in Notit. rer. Rom. Germ. Imper. p. 1. disc. 26. p. 463. JUS FODINARUM, quale competit Sereniss. Sax. Elector. in Comitatu Mansfeldico, vid. cit. Knich. de Sax. non prov. jur. c. 5. sub voc. Berg- und Salz- Werck. n. 128. seqq. & deniq; JUS DE NON EXSTRUENDO CASTRO seu fortalitio intra definitos limites: quod privilegium præter alias Civitates jactat Colonia Agrippina, item Treviris & Spira Nemetum intra milliaria tria. Limn. T. 4. Addit. ad Lib. 4. c. 8. n. 235. & 237. Sed cum Privatorum officium sit, venerari potiùs Sanctissimi Imperii Proceres, quàm scrupulosiùs de illorum Juribus & Regalibus disputare, nos hâc vice de istis juribus, quæ privati permittentibus Legibus possint præscribere, acturi, illorum tractationem illis, quibus Secretiora Magnatum altiùs penetrare concessum est, relinqvimus. Quamquam aliàs Principia Juris Publici & præcepta generaliora debitis cancellis inclusa in Academiis tractare nullò modo prohibitum. vid. Felwinger. diff. de Jur. Publ. in Acad. propon. §. 4.*

VIII. Ista ergò, nempe quæ Juris Privati dicuntur, sunt certæ facultates in alienâ re Corporali in privati alicujus utilitatem legitimè constitutæ. Atq; hæc sunt vel PERSONALIA, ubi utilitas ex facultate illâ usurpatâ immediatè ipsi Personæ obvenit: Qvalia sunt non tantùm Servitutes Ususfructûs, Usûs & Habitationis, sed & alia, e. g. jus pomum

num in horto alterius decerpenti, spatiandi aut cœnandi. *vid. Franzk. Comm. ad 21. Libr. ff. tit. de Servit. n. 75. vel REALIA*, ubi utilitas proximè fertur rei vel prædio alicujus, ut illud inde sit eidem commodius. *Conf. Struv. Ex 12. §. 2. & Ex 13. §. 27.* REALIA iterum dividuntur (1.) in Affirmativa, quæ adstringunt alterum ad patiendum aliquid vel præstandum; & Negativa, quibus alter cogitur aliquid omittere vel non facere. *Schneid. ad tit. 7. de Servit. n. 6. (2.) in Continua & Discontinua. Schurff. Conf. 69. n. 3. Cent. 1.*

IX. Continua dicimus, ad quorum Exercitium non opus est facto hominis. *Hujusmodi e.g. sunt Servitutes tigni immittendi, altiùs ædificandi, stillicidii immittendi & fistulam recipiendi, quæ aquas pluvias ex tecto recipiat.* Ubi enim semel e.g. tignum immissum est, perpetuò durat servitus tigni absq; novâ hominis industriâ. Ita in Servitute Stillicidii, quæ est respectu aquæ ex cælo cadentis, postquam semel stillicidium factum est, per se cadit aqua, cum pluit, sine facto hominis.

X. Discontinua vocamus, ad quorum exercitium facto hominis opus est: *cujusmodi sunt Iter, Actus, Via. & simil. item Servitus proluendi vel effundendi, Servitus prospiciendi &c.* Nam homo non semper & ita continenter potest ire, ducere currum aut plaustrum, effundere vel prospicere; sed necessariò opus habet interpositione & requie. *l. 14. ff. de Servit.* Solent equidem nonnulli cum *Capolla de S. U. P. Cap. 19. n. 2.* dividere Servitutes in Continuas, Quasi-Continuas & Discontinuas; *Verùm cum effectu Juris Continua & Qs. Continua nullam habeant differentiam, sive de acquisitione earum, sive de amissione quærat, præter necessitatem easdẽ separare nolimus, sed eadem descriptione utraq; comprehendim.*

XI. ACTIONES quod concernit, per illas h.l. intelligimus facultatem sive potestatem à LL. concessam, persequendi in judicio id, quod cuiq; debetur. Non enim hîc Actionem consideramus ut actu in judicio intentatur, sed quod ex jure quæsito dependet, & in radicibus suis adhuc quiescit. Quamquam aliàs, quod Tertium Juris Objectum constituit & deducenda actu in judicium, rectiùs dicatur Remedium Juris, quàm facultas & potestas. *Dn. Schvvendendorff. in Summar. action. forens. Expos. Cap. I. §. 5.*

XII. His præcognitis ad definitionem Præscriptionis procedimus. Pro diversâ autem in num præced. I. positâ acceptione diversimodè etiam finienda est. Quatenus enim est modus acquisitionis, eandem definimus, quod sit *adjectio domin. i vel Alius juris per possessionem vel quæsiti temporis*

temporis auctoritate publicâ definiti. Quatenus verò est Exceptio, ita fe-
rè describi poterit, quod sit *remedium juris Civilis*, quò quis alterum possè
certum tempus repellit à jure agendi.

XIII. Generis locò in definitione priori posuimus Adjectionem,
cum Jcto in l. 3. ff. de Usurp. & Usuc. non Adeptionem, quoniam principa-
lis causa acqvirendi per Præscriptionem non est in præscribente, sed
Lege, dominium vel jus aliud ex causis justis alicui adjiciente. *H. de Roy,*
de eo quod just. est, Lib. 3. tit. 1. §. 1. Diximus autem adjectionem *Dominii*
vel Alius Juris, restringendo vocabulum *Dominii* ad res Corporales,
idq; auctoritate *cit. l. 3.* quæ Incorporales hoc ipsò voluisse excludere
præsumitur, quoniam jure fforum illarum Præscriptio, qt. scil. adqvifi-
tionem juris denotat, non obtinuit, l. 43. §. 1. ff. de A. R. D. l. 10 §. 1. ff. de U-
surp. & Usuc. l. 14. pr. ff. de Servit. l. 44. §. non mutat. 5. de Usurp. & Usuc. non
obstante l. 3. §. ductus aquæ. 4. de aq. quot. & estiv. ubi non dicitur, Servi-
tutem aquæ ducendæ subsistere jure Præscriptionis, sed jure Constituti,
quod np. ex Usu tanti temporis præsumatur, initio servitutem pactio-
ne & domini prædii servientis voluntate fuisse constitutam, ut ita Præ-
scriptionis quæstione hoc casu non sit opus. *add. Wes. π. de Servit. n. 5.*
Sed ne occasione vocis *Dominii* alia hinc derivetur Controversia, mo-
nendum erit, nos illud h. l. accipere in significatione strictâ, pro jure in
ipsam Corporis Substantiam comparatò, qt. scil. à reliquis Juris in Re
Speciebus distingvitur. Quæ ipsa significatio, tanquam præ cæteris fa-
mosior, quam maximè promicat in l. 13. §. 1. C. de Judiciis. Vocabuli *Juris*
in definitione adpositio necessaria fuit exinde, quod nobis Præscriptio
consideranda veniat non ex jure Veteri fforum, sed ex Jure Codicis
post Justiniani transformationem, juxta quam apertissimè rerum etiam
Incorporalium, quæ in jure consistunt, præscriptio introducta est. l. ult.
in fin. C. de præscr. long. temp. 10. vel 20. ann. Differentia deniq; desumta est
à Formâ, np. *Possessione*, quæ basis est & fundamentum omnis Præscri-
ptionis, cum nunquam sine hâc procedere possit, l. 25. & l. 44. in fin. ff. de
Usurp. & Usuc. C. sine possessione. de R. J. in 6. Ludw. Ex. Just. 6. θ. 1. lit. e. Carpz.
Lib. 1. Resp. 36. n. 1. Et est possessio vel vera, quæ dicitur de rebus Corporalibus,
vel impropria & qs. possessio, quæ de Incorporalibus dicitur. Eck. §. 12. de A.
& A. P. Quibus autem Requisitis instructa esse debeat Quasi-possessio,
& quæ aliàs concurrere debeant ad inducendam Præscriptionem In-
corporalium, Cap. sequens explicabit.

XIV. In posteriori definitione per se omnia patent. Hoc tantum ad-
dimus,

dimus, nos verbum agendi h.l. intelligere generaliter, sive quis agat in personam, sive in rem, sive interdicto, sive præjudicio, sive etiã intendat Accusationem, *per l. 37. ff. de O. & A. l. 10. pr. l. 15. §. 3. ff. ad SC. Turpill. l. 178. §. 2. ff. de V.S.*

XV. Divisiones Præscriptionis aliàs pro ratione varii temporis traduntur variæ, quas brevitatis causa hîc omittimus, & eam tantum apponimus, quâ ratione Objecti ex datis definitionibus Præscriptio dicitur *vel rerum Corporalium vel Incorporalium*. Corporalium Præscriptio, nisi prohibeatur, post correctum jus antiquum contingit regulariter *in Mobilibus* trienniô, *in Immobilibus* verò inter præsentibus decenniô & vicenniô inter absentes, *pr. l. de Usuc. & long. temp. præscr. l. un. C. de Usuc. transform.* & hæ decennalis & vicennalis præscriptiones communiter *Longi temporis* vocantur. *cit. t. 7. §. C.* De reliquis longissimi vel immemorialis temporis Præscriptionibus, quantum ad res Corporales, videri possunt *Dd. ad tit. ff. de Usurp. & Usuc. & ad tit. C. de Præscr. 30. vel 40. ann.* Nos ut propiùs scopum attingamus, Corporalium Præscriptionem relinqvimus, persecuturi paucissimis Præscriptionem Incorporalium.

CAPUT II.

Tradens ea, quæ ad Præscriptionem Incorporalium requirantur.

I.

Suprà mentionem fecimus, quod ad Præscriptionem certa concurrere debeant requisita, sine quibus procedere illa non possit: Opera igitur pretium duximus, quænam ad Incorporalium Præscriptionem requirantur, ductu nostrarum Legum penitiùs inquirere. Ut autem ordine fiat, separatim videbimus, quid requiratur *I. respectu ejus, contra quem præscribitur, & II. respectu personæ Præscribentis.*

II. Et primò quidem *respectu ejus, contra quem præscribitur* res aliqua Incorporalis, requiritur Negligentia per tempus lege definitum. Sicuti enim justum visum est, ut desidia ejus, qui res suas Corporales in Communem Societatis Publicæ perniciem negligeret, rei dominio mulctetur, *l. ult. in fin. C. de ann. Exc.* cum indignus esset domini privilegio, qui eò abuteretur, *arg. c. privilegium. 63. Caus. 11. qv. 3. C. tuarum. de privil.* ita porrò etiam, ut juris sui contemtores ad diligentiam & vigilantiam revocarentur, & justis possessoribus tandem idoneè cautum esset, terminus legalis unicuique constitui potuit, intra quem in libertatem rei suæ inquireret, vel aliàs facultate sibi competente legitime uteretur, atque ita temporis decursu omnis controversia sopiretur, *pr. l. de Usuc. l. 1. ff.*

B

eod.

eod. l. fin. ff. pro suo. add. l. 2. pr. & d. l. ult. in fin. C. de ann. exc. Et licet Negligentia talis, quæ nemini, nisi ipsi negligenti est damnosa, in foro possit excusari & vix puniatur, cum nemini fecerit injuriam, & suæ quisque rei moderator sit & arbiter, *l. 21. C. mand. aliter tamen se res habet, si ex negligentia alicujus alteri tertio præjudicium vel læsio Reipublicæ sit metuenda, arg. §. 2. I. de his qui sui vel alien. jur. add. l. 65. in fin. ff. de evict. & l. 24. ff. quæ in fraud. Credit.* Ita e.g. licet non facile quis sanæ mentis proprias ædes Vulcano sacrificare voluisse præsumatur; attamen cum plerumque incendia culpâ & negligentia inhabitantium fiant, *l. 3. §. 1. ff. de off. Præf. vig. ii puniendi erunt, ut alii sibi caveant imposteriorum, l. 28. §. 12. ff. de pæn. & l. 1. C. de L. Aquil. & ne tertius ita temerè damnum patiat sine suâ culpâ.* Similiter, si Vasallus intra annum & diem dominò mortuò, vel etiam ipsius heredes, ipsorum Antecessore defunctò, investituram petere neglexerint, feudo privantur, *2. F. 24. pr. & 2. F. 40.* quia in Domini contemptum investituram neglexisse præsumuntur. Licet hunc juris feudalis rigorem Principes & Domini feudi hodiè non ita strictè observare soleant, sed dictatâ aliquâ multâ condonare.

III. Caterùm cum Negligentia imputari non possit, nisi ei, qui scit & patitur hoc vel illud ita fieri, hinc ista in Juribus Incorporalibus maxime elicitur *ex Scientia & Patientia*: Scilicet, quando aliquis libertatem rei suæ benè cognoscens alteri nihilominus absque ullâ interpositâ prohibitione exercitium alicujus juris in eadem concedit; vel liberum rei suæ usum habens prohibitioni alterius per certum temporis spatium acquiescit.

IV. Ex his sponte suâ deducitur, adversus ignorantem Præscriptionem non currere, quia eidem non potest imputari negligentia; non enim dici potest negligens, qui ignorat jus sibi competere. *Gl. in C. quàm sit. verb. distulerit. de Elect. in 6. Francisc. de Caldas, Conf. 30. num. 34. Menoch. Conf. 726. n. 60.* Quod tamè non sine limitatione accipiendū: Sicuti enim in reliquis juris Articulis, ita in præsentī etiã materiã non quilibet ignorans excusabitur. Præsumitur namque quilibet ea, quæ juris sunt & facti proprii cognoscere, ut adeò hæc ipsa ignorans non pro ignorante, sed sciente, *l. 9. C. de LL. atque in terminis Præscriptionis pro negligente habeatur, add. l. 50. ff. de R. J. junct. l. 28. de V. S. cum quoad effectum paria sint in jure nostro scire & scire debere, l. 43. circa fin. ff. ad L. Aquil. l. 38. ff. de A. vel O. H. l. 15. C. de resc. vend. ne melioris conditionis sint stulti, quàm periti, l. 4. ff. quod vi. Quotiescunque verò justè & probabiliter aliquis ignorat*

fa-

factum Alienum, toties nulla obesse poterit ei Præscriptio, non secus atq; aliàs indebitum solventi justa & probabilis ignorantia non potest nocere, *l. 10 C. de jur. & fact. ignor.* Atq; hoc procedit, etiamsi longi, imò longissimi temporis spatium elapsum sit, *arg. l. 3. in fin. C. de Præscr. 30. vel 40. ann. vers. etiamsi se Legis ignorantia excusare tentaverint*: Cùm enim Imperator in his verbis expressè loquatur de ignorantia juris, excludere eo ipsò voluit ignorantiam facti alieni probabilem, cùm perpetuum sit de jure, unius inclusionem esse exclusionem alterius. *add. H. de Roy, de eo quod just. Lib. 3. tit. 8. n. 8.* & præterea non potest tractu temporis convalescere, quod ab initio vitiosum fuit, *l. 29. ff. de R. J. neq; alicui generari potest præjudicium ex transmissi temporis injuria. l. 4. C. de A. & R. P.*

V. Porrò cum ad id, ut adscribi alicui possit negligentia, considerata etiam veniat ejusdem *Patientia*, manifestè apparet, Præscriptionē non currere contra eum, qui justā ex causā impeditus fuit, quò minùs alteri contradiceret, e.g. si inopes potentiorū injuriis oppressi fuerint: Ratio est, quia non valenti agere nulla currit præscriptio, *l. 1. §. ult. C. de ann. Exc. Menoch. Conf. 207. n. 46. & Conf. 265. ubi n. 29. ex Cap. ex transmissa. de Præscript. probat, vigente bello cursum temporis nocere alteri non posse, add. l. 1. ff. de div. & temp. præscript.*

VI. Hoc locò quæritur, an Præscriptio currat contra Pupillos? quod neg. quia negligentia illis non potest adscribi, cùm eorum ætas quid videat, ignoret, *l. 1. C. de fals. monet. & l. 9. ff. de acqu. hered. unde ne quidem contra defunctum cæpta currit, sed durante pupillari ætate cessat & dormit, l. 48. pr. ff. de A. R. D. l. sicut. in fin. C. de præscr. 30. ann.* Sed an idem dicendum de præscriptione contra Minores? *Aff. l. 3. C. quib. non obj. long. temp. præscr. & arg. l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. nec. non est.* quia in his quoque magis ignorantia, quàm Scientia præsumitur: imò, juris etiam ignorantia in ipsis justa ac probabilis visa est, *l. 9. ff. de jur. & fact. ignor.*

VII. Quid verò, si Usufructuarius, Emphyteuta, Vasallus vel Inquilinus tertio per fundum concederet aliquod jus, e.g. Servitutem, poteritne tertius, qui bonà fide & justo titulò ab Usufructuario, Emphyteuta &c. eaq; opinione, quasi concedens verus fundi esset dominus, servitutem acquisivit, eandem adversus verum dominum præscribere? N. quia deficit principale requisitum Præscriptionis, domini scil. negligentia, quæ ipsi propter justam facti alieni ignorantiam non potest imputari. Parile exemplum refertur in *l. quamvis. 32. §. 1. ff. de A. vel A. P. de quo vid. H. de Roy cit. Tr. lib. 3. Tit. 8. n. 6. in fin. & Responsum Fac. Lips. ap. Carpz. dec. 115. n. 18.*

VIII. Pergimus; secundò ad personam Præscribentis, à parte cuius requiritur. I. Quasi Possessio, arg. c. 3. de R. J. in 6. Carpz. Lib. 1. Resp. 66. n. 12. ut se quâdam incorporali sive ipse, sive per alium, utatur, animò & affectu exercendi alicujus juris, in Meinung/daß er dessen befugt und be- rechtigt/ perinde ac in rei Corporalis præscriptione requiritur, ut ani- mò seu affectione dominantis seu domini rem teneat. Dicitur autem ali- quis quasi possidere, si res jam processerit ad aliquam executionem; sin verò adhuc nihil factum, sed omnia adhuc sint integra, & adversarius aliquid re- cens facere tentet, tunc is non est in qs. possessione juris, sed ego sum adhuc in qs. possessione libertatis. Obtineri verò solet in Juribus affirmativis per usum unius ac patientiam alterius; in Negativis, si adversarius ac- quieverit prohibitioni. Carpz. Lib. 1. Resp. 36. n. 10. Licet enim Incorpora- lia reverà non recipiant traditionem atq; possideri non possint, l. 3. ff. de A. & A. P. quasi tamen tradi atq; ita quasi etiam possideri queunt, l. 3. pr- vers: dare intelligitur. ff. de Usufr. add. l. 18. §. 1. ff. de hered. pet. l. 23. §. 2. ex quib. caus. maj. Quod si ergò aliquis non potest quasi possidere, sive simpli- citer, sive secundum quid, quod scilicet. hujus vel illius juris non possit esse ca- pax, consequens erit, eum quoq; in rebus Incorporalibus præscribere non posse. Cap. 7. de Præscript. Quasi autem possidere possunt omnes, qui etiam possidere, de quibus vid. Eck. §. 6. de A. & A. P.

IX. Sed quæritur, quot actus sufficiant ad Qs. Possessionem? & sufficit nonnunquam unus actus, uti præcipuè obtinet in Juribus Negativis; qualia sunt, altiùs non tollendi, non molendi in alterius molendino, non co- quendi panes in alio furno, quàm meo, non emendi cerevisiam ubi lubet, non bruxandi, non edificandi quando & ubi voles &c. in quibus unus actus prohibitionis sufficit, si adversarius desuper acquieverit. Gl. in l. 1. C. de Servit. Gail. 2. Obs. 69. n. 15. item in Affirmativis, nempè maximè ponde- rosis & præjudicialibus, veluti ducere aquam per fundum alterius, vel im- mittere tignum in parietem vicini, l. 6. §. 1. & l. 8. §. 3. ff. si serv. vind. quia ejus- modi actum ponderosum censetur quis exercere ex Jure sibi debito; cum alter aliàs talem actum jure familiaritatis aut amicitiae non præsu- matur permittere, l. 1. §. 4. ff. de aqv. quot. ubi ad interdictum sufficit, quem vel unâ die vel nocte aquam duxisse, Mascard. de Prob. Concl. 1214. n. 3. Manz. Tit. 1. de Servit. qv. 10. n. 108. & seq. Neq; hoc tantum valere di- cimus in Juribus Continuis, sed etiam in Discontinuis, talibus nempè, quæ ponderosiora & non facile jure familiaritatis aut amicitiae concedi solent, velut in jure calcis coquenda, arena fodienda, & similibus. Schneid. Tit.

Tit. de Interd. §. possidere. n. 127. Interdum verò plures requiruntur, ut in plerisq; discontinuis & talibus, quæ minùs ponderosa, & aliquando jure etiam familiaritatis & amicitia, aus *Nachbarlichem Vertrauen oder Freundschaft* concedi solent. Licet ergò quis semel atq; iterum per fundum vicini iverit, spatiatus fuerit, vel canaverit in alieno, vel pomum decerpserit &c. tamen ex hoc non constituitur in qs. possessione servitutis itineris, vel juris spatiandi &c. Ratio est, quia semel atq; iterum ire, spatiari &c. per fundum suum præsumitur vicinus jure amicitia atq; familiaritatis permittere. *Mascard. d. l. n. 8. Manz. d. l. n. 109. & seq.* nisi per annum vel ad minus 30. vicibus unò annò iverit; ex hac enim Continuatione demonstratur, quod non jure familiaritatis, sed jure suo seu jure Servitutis sibi debita iverit, *l. 1. §. 2. & 4. ff. de itin. actus priv.* Esto enim semel atq; iterum tale quid jure amicitia concedatur, tamen non præsumitur tam continuò ex solâ amicitia concedi. *Mascard. d. l.* Sed tamen hæc in parte multum valebit judicis arbitrium, qui ex actuum qualitate & pluralitate ac aliis circumstantiis arbitrari debet, an aliquid jure tantum familiaritatis & amicitia, an ex jure debito exercitum & usurpatum fuerit.

X. Cæterum cum non quilibet, qui Qs. possessionem sibi tribuit, etiam simul possit præscribere, sed is demùm, qui justè & Lege approbante eadem gaudet, videbimus porrò ea, quæ inesse debeant Qs. Possessionis, ut ad causandam præscriptionem sit justa. Requiritur autem (1.) *Justus Titulus*, ut ex justâ causâ Qs. Possessio incipiat. Et de Corporalibus quidem extant varii Tituli ad transferendum dominium habiles, titulis nempe posterioribus ff. Lib. XXI. quibus adduntur adhuc varii, quos recenset *Gotb. in Not. ad l. ult. ff. pro suo. & Vinn. Comm. in l. de Usuc. pr. n. 3.* Et hi in possessione Corporalium verè subesse debent, si procedere debet in iis usucapio, *l. 27. ff. de Usurp.* At in qs. possessione Incorporalium distingvendum putamus *cum Wesf. in π. de Servit. n. 5. Harprecht. in Inst. de Servit. n. 15. & Manz. d. l. n. 125. & 126.* utrum fundus vel res, quæ juri cuidam dicitur obnoxia, possideatur à vero domino, an verò ab aliquo tertio. Priori casu non requirimus Titulum, sed Scientiam & Patientiam domini sufficere existimamus: si enim Titulus adesset, statim quæsitum esset jus per primum actum factæ qs. traditionis, ut adeò nullâ præscriptione opus foret. *l. Clavibus. 74. ff. de contrah. emt. add. Capolla de S. II. P. Cap. 19. n. 9. & Vinn. Select. Jur. Quest. 31. Lib. 1.* Deinde Scientia & patientia Domini locò tituli habetur, *l. 2. C. de Serv. & aqv.* imò patientia

est quoddam mandatum & æquiparatur ratificationi, l. 6. §. si passus. ff. mand.

XI. Quantum ad alterum casum distinctionis nostræ attinet, requiritur omninò etiam Titulus, quem quis habeat ab illò tertio possessore non domino, per l. 24. C. de R. V. l. fin. C. de Usuc. pro hered. l. 8. pr. C. de præscr. 30. ann. quoniam Scientia & patientia non domini, ubi de præjudicio ipsius domini agitur, non facit præsumptionem tituli. Quamvis secus forsitan se res habeat, si solummodò de præjudicio possessoris tertii quæstio sit, quod fieret, si ipse fundum vel aliam rem Corporalem plenè usucaperet, & in eadem passus fuisset alium jure aliquò uti longò tempore. Nam hoc casu similiter ejus Scientiam & patientiam sufficere arbitramur, ne aliàs non dominus seu possessor tertius sit melioris conditionis, quàm verus dominus, arg. l. 3. ff. si ususfr. pet. ubi Gothofr. in Not. add. Manz. tit. 1. qv. 11. n. 162.

XII. Atq; hætenùs dicta intellige de præscriptione temporis longi, 10. vel 20. annorum; nam aliud receptum in præscriptione temporis longissimi, 30. vel 40. annorum, quæ tam in Corporalibus quàm Incorporalibus procedit, etiam nullò titulò præcedente; cùm defectum ejus suppleat nimia temporis diuturnitas, adeò, ut non audiatur, quæ tituli defectum probare velit. C. placuit. 15. §. præscriptionum. vers: si autem nullò titulò. Caus. 16. q. 3. add. C. de quarta. C. ad aures. de Præscript. Zang. p. 3. de Except. c. 10. n. 92.

XIII. In ordine Præscriptionis ad Qs. possessionem requiritur etiam (2.) bona fides, ut quis credat, sibi jus istud, quò utitur, verè competere: similiter ut in præscriptione Corporalium requiritur sincera & illæsa conscientia possidentis, ut positivè credat, rem suam esse, pr. l. de Usuc. l. 10. ff. eod. l. 2. C. de præscr. long. temp. Eck. de Usurp. & Usuc. §. 14. quod verum est de jure Canonicò, & hodiè ex consuetudine Universalì, fatente Hahn. ad Wes. de Usurp. n. XI. circa fin. etiamsi de præscriptione 30. vel 40. annorum, Carpz. Decis. 117. n. 25. & 26. & Lib. 1. Resp. 40. dissentit Franzk. Ex. 5. qv. 8. n. 3. & seqq. vel etiam de præscriptione immemoriali sermo sit, per text. in C. fin. de præscr. c. possessor. de R. J. in 6. Concordat Menoch. Conf. 447. n. 22. & Brunn. ad l. un. C. de usuc. transf. n. 10. item ad l. 1. C. de Præscr. 30. vel 40. ann. n. 12.

XIV. Sufficit autem de jure Civili, si ab initio bona fides possidentis vel quasi adsit, per §. 7. l. de Usuc. l. 2. §. 19. ff. pro emt. l. un. C. de Usuc. transf. & maximè l. 44. §. 2. ff. de Usurp. l. 48. §. 1. ff. de A. R. D. junct. l. 25. §. fin. ff. de Usur.

Usur. Jure verò Canonico, quod hoc in casu in Imperio observatur, bona fides usq; ad ultimum completæ Usucapionis momentum requiritur, c. 5. & fin. de præscr. C. possessor. de R. J. in 6. Gail. 2. obs. 18. Mynsing. obs. 6. cent. 4. add. Const. Elect. Sax. 3. p. 2. verb: Es wäre dann/ daß mala fides nicht allein fürgewendet/ sondern auch erwiesen würde etc. ibid; Carpz. def. 6. & 7. & decis. 117. n. 34. ubi Responsò Fac. Lips. hanc sententiam affirmat. Et quamvis H. de Roy, in Tr. de eo quod just. Lib. 3. tit. 7. eandem sententiam de jure etiam Civili adstruere voluerit, gravissimè tamen eidem adhuc obstant cit. l. 44. § 2. ff. de Usurp. & l. 48. § 1. de A. R. D. junct. l. 25. §. fin. ff. de Usur. & fruct. quorum textuum ne mentionem quidem fecit.

XV. Ex hoc requisito bonæ fidei inferre possumus, quod *Jurisdictio*, *item jura imponendi vectigalia, metalla fodiendi, monetandi, confiscandi, collectandi*, & alia, quæ Principibus & Superioribus in Signum Subjectio- nis & Superioritatis sunt reservata, à Privatis, quæ talibus, præscribi non possunt, l. 6. C. de præscr. 30. vel 40. ann. Arnif. de jur. Maj. Lib. 2. c. 2. n. 6. Ungepauer. diff. de jur. Maj. comp. 6. 38. Gail. 1. obs. 21. n. 15. in fin. quoniam ipsis perpetuò obstat mala fides. Similiter *jus decimandi* nullò unquam tem- pore à Laicis præscribitur, c. causam. 7. de præscr. c. revertimini. 16. qv. 1. cum noverint, sibi jus istud nunquam posse competere, non solum, quod de- cimæ in signum universalis domini debeantur Deo, c. tua nobis. §. ni- mis profectò c. cum non sit in homine. 33. §. cum autem. de decimis; sed & quod jus decimandi spirituale sit ac proinde in Laicum non cadat, c. fin. de rer. permut. junct. c. causam. 7. de præscr. Carpz. p. 2. C. 2. d. 4.

XVI. Illud quæritur, *an etiam ad Præscriptionem Actionum bona fides sit necessaria?* & affirmamus de Realibus; negamus verò de Personali- bus, quarum intuitu solam ejus, contra quem præscriptio allegatur, negligentiam & silentium per tempus lege definitum sufficere puta- mus, non attentâ bonâ vel malâ fide debitoris præscriptionem allegan- tis. Zang. de Exc. p. 5. C. 10. n. 106. dissent. Carpz. Lib. 1. Resp. 33. quoniam ne qui- dem propter defectum possessionis bona vel mala fides hujus conside- rari potest, sicuti nec qualitas absq; subjecto. Aliud est, si debitor fuit interpellatus, & is nihilominus cessaverit; hòc enim casu præscriptio- nem interrumpi manifestum est. Zang. d. l. n. 110.

XVII. Ulteriùs à parte Præscribentis, postquam de Qs. possessione legitimè constat, requiritur etiam II. ejus Continuitas per tempus lege definitum, §. 7. I. de Usuc. l. 2. C. de præscr. long. temp. C. 3. de R. J. in 6. Const. E- lect. 7. p. 2. Brunnem. in l. 1. & 10. C. de præscr. long. temp. 10. vel 20. annor. Dici-
tur

tur autem continuata Qs. possessio etiam illa, quæ ab uno legitime cæpta ab altero adimpletur, ut puta Successore vel Universalis, *l. justo. 44. §. nondum. 3. ff. de Usurp. & Usuc. d. §. 7. I. de Usuc. vel Singulari, §. 8. I. d. t. Philipp. Usu Pract. Inst. Lib. 2. Eccl. 33.* observatâ tamen jure Civili differentiâ inter bonam & malam fidem: Illi enim Antecessoris seu defuncti mala fides eque nocet, bona fides verò prodest, etiam si ipse malam fidem habeat, *cujus rationem vide ap. Eck. §. 16. de Usurp. & Usuc.* Huic verò nempe Successori Singulari, neq; Antecessoris bona fides prodest, si ipse sit in malâ fide; neq; mala nocet, si ipse bonâ fide præscripserit. *add. Wissemb. ad I. disp. 13. §. 15.* Hodiè, cum, ut præcedenti num. XIV. dictum, jure Canonico bona fides non tantum ab initio, sed & in medio & fine sit necessaria, non poterit qualiscunq; Successor, si malam fidem habeat, possessionem vel quasi continuare. *c. 3. de R. J. in 6. & c. fin. de præscript. consentit Eck. loc. cit.*

XVIII. Tempus denique, cuius cancellis Incorporalium Præscriptio includitur, aliud est in iis, quæ in jure consistunt, aliud in Actionibus.

XIX. JURA ad exemplum immobilium acquiruntur, nempe inter præsentis decenniò, vicenniò inter absentes, & quidem indistinctè, sive Continua fuerint, sive Discontinua, *l. 2. C. de Serv. & aq. l. ult. in fin. de præscr. long. temp. 10. vel 20. ann. Habn. ad Wes. qv. serv. am. n. 6* uti in specie de jure annuos redditus percipiendi asserit *Men. Lib. 3. præsumt. 131. n. 59. & seq. per l. 6. ff. de Usur. & l. 20. pr. C. de agric. & cens. Lib. 11. cumq; eo Dn. Brunn. in l. 28. C. de pact. n. fin. & Struv. Ex. 43. §. 16. & ex Balbo Dn. Habn. ad Wes. de Usurp. & Usuc. n. 7. in fin. de Operis seu Servitiis rusticorum, von den Dienst- und Frohnen/ welche die Leute zu den Herren und Ritter- Gütern leisten müssen. Idem procedit de Usufructu Emphyteutico, si quis tempore longò rem ut Emphyteuticam possedit, & Canonem sciente & recipiente Domino persolvit, *Struv. Ex. 11. §. 64.* nec non de jure superficiario. *Id. Ex. 45. §. 128.**

XX. Jure tamen feudali 10. vel 20. annorum præscriptio non sufficit, sed requiritur ad præscriptionem juris in feudo tempus 30. annorum, quod ipsum tempus computari solet ab eo die, quò quis servitia præstitit vel exhibuit, *2. F. 26. §. si quis per triginta. Rosenthal. c. 6. concl. 77. n. 3. sq. dissentit Schrader. P. 5. c. 4. n. 7. qui in feudo bonâ fide emtò præscriptionem 10. vel 20. annorum admittit.*

XXI. Sed & de Jure Civili prædicta tantummodò procedunt de præscriptionibus iis, in quibus non deficit Titulus: hujus enim defectus sup-
plendus

plendus est per præscriptionem temporis longissimi 30. vel 40. ann. vide
suprà Num 12. arg. l. 3. & 4. C. de præscript. 30. ann. Sanè etiam in præscriptio-
 ne jurium circa res fisco incorporatas 40. annis opus est, *l. fin. C. de fund.*
patrim. junct. l. 3. & 4. C. de bon. vacant. nisi cæperit præscriptio anteqvam
 res fiscales factæ, quò casu longò tempore procedere poterit, *arg. l. ubi*
lex. 24. in fin. ff. de Usuc. Item 40. anni requiruntur in præscriptione Juriũ
 circa prædia Ecclesiarum, aliorumq; piorum Locorum, *Nov. 111. Cap. un.*
Nov. 131. c. 6. C. de quarta. C. ad aures. c. illud. de præscript. Mascard. de prob. cõcl.
1214. n. 25. Num verò idem tempus sufficiet contra Ecclesiam Romanam?
vid. Strauch. diff. 8. §. 18. & in Irner. non Errant. Cap. 3. n. 10. item Wissenb. in Er-
ror. Irner. §. 5. & Struv. Ex. 43. §. 19. Locis piis annumerantur etiam Aca-
 demix, *Const. Elect. 5. p. 2.* non verò privata Clericorum prædia, unde
 contra illos 10. anni inter præsentis & 20. inter absentes cum titulo, &
 sine titulo 30. anni sufficiunt. *d. Const. add. Schneid. in Inst. de Usuc. rubr. de*
Specieb. præscr. n. 25. Sed annon prædictis casibus in 40. ann. præscriptione
 Titulò etiam opus sit, quæritur: & videtur quod sic, *arg. c. 1. de præscr. in*
6. quoniam argui posset præsumtio juris, quâ quælibet res præsumitur
 libera. Sed negativam cum Mascardo *d. l. n. 21.* apprehendimus, cum præ-
 sumtio illa tantum sit modica & levis, quæ facile tolli potest ex conje-
 cturis vel ex cursu tanti temporis. *adde l. cum de in rem verso. 6. ff. de Usur.*
& l. si quis diuturno. 10. ff. si serv. vindic. Quid verò, si fundum Ecclesia-
 sticum possideat aliquis Laicus jure feudi vel Emphytheuseos, an etiam in isto
 casu jus aliquod, v.g. servitutis, non minori tempore, quàm 40. ann. spatio præ-
 scribitur? Resp. contra ipsum Vasallum aut Emphyteutam procedere
 præscriptionem Ordinariam, 10. scil. annorum inter præsentis & 20. in-
 ter absentes; adversus ipsam Ecclesiam autem, si fundus vel Emphy-
 teusis ad eandem ante 40. annos revertatur, non habere locum: quo-
 niam resolutò jure Vasalli vel Emphyteutæ, resolvitur etiam servitus
 contra ipsum ut Emphyteutam vel Vasallum præscripta. Si verò com-
 pleantur 40. anni, anteqvam res ad Ecclesiam revertatur, præscriptio
 omninò etiam nocebit Ecclesiæ, idqve non sine culpâ ipsius Ecclesiæ vel
 Antistitis, utpote qui intra cursum 40. annorum sibi & Ecclesiæ vigila-
 re & præscriptionem inchoatam interrumpere potuisset, prout insinua-
 tur in *C. illud. 8. de præscript.*

XXII. Ulteriùs aliquando etiam tempus Immemoriale ad præscri-
 ptionem necessarium est, quoties scilicet species præscriptionum
 modò relatæ sunt prohibitæ, *c. 1. de præscr. in 6. ibiq; Canonistæ, Struv.*
Ex. 43. §. 23. Planè enim singulare est, quod ejusmodi immemoria-

C

lis

his præscriptio habeat vim tituli & privilegii, *d. c. 1. in fin. de præscr. in 6. & c. super quibusdam §. præterea, de V. S. add. Mascard. de Prob. concl. 1371. n. 16.* item vim Legis & Observantiæ, *Francisc. de Caldas conf. 45. n. 13. nec non tacitæ Investituræ & Concessionis, Matth. Steph. Lib. 1. de Jurisd. p. 1. c. 7. n. 139. Gail. 1. Obs. 21. n. 15. in fin. ut omninò rectè asserant Dd. hanc immemorialis temporis Præscriptionem nunquã submoveri verbis generalibus præscriptionem excludentibus, prout tradit Carpz. cum allegg. p. 2. C. 3. d. 24. in fin. & Lib. 1. Resp. 44. n. 18. add. Richt. decis. 21. n. 52.* Dicitur autem præscriptio immemorialis illa, quando non constat de memoriã initii & originis inter homines adhuc viventes, licet ex antiquissimis literis, documentis vel Instrumentis edoceatur, quod ante tantum & tantum temporis spatium, 200. fortè vel 300. annos nullus controversi juris usus ac possessio fuerit, *per text. in C. super quibusdam. 26. de V. S. ibi: vel ex antiquã Consuetudine à tempore, cujus non extat memoriã.* Cum quo concordat etiam *l. 3. §. ductus aquæ. ff. de aqu. quot. & astiv. in verb. ductus aquæ, cujus origo memoriã excessit. jure constituti loco habetur. add. Menoch. de arbitr. Jud. Lib. 2. Cent. 1. cas. 43. n. 2.* Quibus verò modis differat præscriptio immemorialis à Centenariã, ut & quomodo probari & super eadem articulari possit, *v. Schneidw. de Usuc. sub rubr. de Specieb. præscr. n. 35. & Carpz. p. 1. C. 16. d. 74. & p. 2. C. 1. d. 7.* Cæterum hæc Immemorialis præscriptio, ut & quadragenaria Saxonum etiam jure obtinent, *Carpz. decis. Sax. 218. n. 21. seqq. & Lib. 1. Resp. 35. n. 14. & 15.* licet reliquæ præscriptiones 10. 20. & 30. annorum ad spatium annorum 31. cum augmento 6. septimanarum & 3. dierum contractæ sint, *LD. Lib. 1. art. 29. junct. Const. Elect. 6. p. 2. ubi obiter notamus, quod in d. Const. quantum ad præscriptionem Saxoniam, Sereniss. Elector privatis exæqvaverit etiam Civitates: quod intelligendum, si præscriptio incepta sit contra ipsam Civitatem; non verò, si contra certos tantum Cives. Rationem tradit Carpz. p. 2. C. 6. d. 1.*

XXIII. ACTIONES denique, licet generali acceptione Accusationes includant, ut à nobis etiam supra factum est, tamen Præscriptio illarum rectius percipitur, si ab his distingvantur, & separatim tam Actionum quàm Accusationum præscriptiones evolvantur. ACTIONES quod concernit, si in rem sunt, præscribitur illis eò tempore, quò aliàs præscribuntur illæ res, de quibus competunt. *vid. Struv. Ex. 46. §. 29. Eck. §. 35. n. 3. de O. & A. Brunn. ad l. 4. C. quib. non obj. long. temp. præscr.*

XXIV. Actionibus verò in personam, & quæ causam mixtam habere dicuntur, regulariter tempore longissimò, quod est 30. & 40. annorum,

præ-

præscribitur, cum hac quidem differentiâ, ut juxta *l. 1. §. 1. C. de ann. exc.* spatium 30. annorum applicandum sit illi tempori, ex quo ab initio competunt & semel natæ sunt, spatium verò 40. annorum, ex quo novissimè, postquam semel in judicium fuerunt deductæ, & lis earum nomine contestata, iterùm siluerunt, *l. ult. C. de Præscr. 30. vel 40. ann. Carpz. decis. 218. n. 12. & seqq.* quod jure etiam Sax. obtinere constat ex allegatò *in cit. decis. n. ult. Resp. Scab. Lips. ibi: Dieweil aber das einmal fundirte judicium anderer Gestalt nicht/als durch ein 40. Jähriges Stillschweigen auch im Sächsischen foro præscribiret wird &c.*

XXV. Quod autem diximus, actionibus *per d. l. 1. §. 2.* ex eo tempore præscribi, ex quo ab initio competunt & natæ sunt, illud in tantum procedit, ut ante oblationem pecuniæ Actioni pignoratitiæ directæ, *arg. l. 9. §. 3. & l. 33. ff. de pign. et. ut & ei, quæ datur ex pacto de retrovendo, nullò prorsus tempore, nisi istud adjectum sit, præscribatur. Quæ sententia expresse probata est ab Elect. Sax. part. 2. Const. 1. & in Camera Imp. eandem observari testatur Gail. 2. obs. 18. add. Hahn. in Not. ad Wes. de resc. vend. n. 6. & Ungep. Ex. 7. qv. 7. in Nego.* Extendunt insuper hoc ipsum Feudistæ ad utilem vindicationem, quæ datur Alienatoris Agnatis ad Feudum ex pacto & providentiâ absq; refusione pretii revocandum, ut scil. eidem adversus Agnatum proximum & reliquos omnes, quotquot simultaneè absq; gradus prærogativâ investiti sunt, ex eo demùm tempore, quò Alienator mortuus est, præscribatur; etiamsi ante illius mortem ultra 100. vel plures annos Extraneus feudum possederit. *arg. l. 3. vers. ex quo jure competere cæperunt. & l. 7. §. 4. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Ratio potissimum datur duplex: Una, quod, quamdiu majores spiraverint, ultimus agere non valuerit: altera, quod præscribens non dicatur habere causam à primo acqvirente, à quo descendentes vel agnatî vocati sunt, sed tantùm à tradente. Ulteriùs licet contra proximiores, ad quos primitùs Successio devoluta, utili vindicationi morte Alienatoris natæ per longissimum tempus 30. annorum præscriptum sit, nondum tamè præscriptio obesse poterit remotioribus, quibus demùm post præscriptionem completam jus agendi competere cæpit: cum in feudo ex pacto & providentiâ tot sint præscriptiones, quot personæ, & unaquæq; persona feudum proprio jure revocet. *Zang. de Exc. p. 2. c. 10. n. 209.* Jure Sax. hæc revocatio locum habet, etiam in feudo hereditario absq; consensu simultaneè investitorum alienato, *Rescript. Torgav. de A. 1538. tit. Welcher Gestalt die Agnaten und Mitbelehnten 2c. §. So setzen & sq.*

Descendentibus tamen nullò casu, neq; feudi hereditarii, neque ejus, quod ex pacto & providentia dicitur, consensu domini & omnium simultaneè investitorum, quotquot in vivis fuerunt, alienati revocatio conceditur. *cit. loc. §. Sehen/ordnen und wollen demnach &c.* Quod ultimum & de jure feudali communi valere per rationes firmissimas evincit *Hartm. Pist. p. 2. qv. 13. à n. 34. usq; ad n. 62. qvem deinde contra Fachineum & Rosenthalium defendit Sim. Ulric. Pist. Hartm. F. in Addition. ad all. qv. 13.*

XXVI. Cæterum variæ in jure nostro occurrunt Actiones, quarum præscriptio modò breviori, modò etiam longiori tempori inclusa est, ut actiones præjudiciales ex Prætoris Jdictione substantiam habentes, actio de dolo, injuriarum, qvanti minoris, qverela inofficiosi, petitio hereditatis, (à qvâ liberi non nisi triplicatò præscriptionum spatiò, 90. scil. annorum excluduntur, juxta *Carpz. p. 3. c. 14. d. 30.*) & similes, de quibus, ut & aliis præscriptionibus, qvæ non ex possessione vel qvasi, sed ex non observatis fortè fatalibus oriuntur, videri possunt *Struv. Ex. 46. d. 28. Eck. de Usurp. §. 22. 23. & 25. & copiosè Simon, in Disp. de Temp. præscr.*

XXVII. Accusationibus deniqve ferè omnibus vicenniò à die commissi delicti præscribitur, *l. 12 C. ad L. Corn. de fals. idq; propter defectù certæ & indubitatæ probationis, qvæ anima dicitur Processus Criminalis. Damboud. Pr. Crim. cap. 157.* Cùm enim ad probanda Crimina sole meridiano clariora indicia requirantur, *per l. fin. C. de prob.* ea autem ob temporis longinqvitatem perire & deficere facillimò negotiò possint, non dubitandum, qv in in ejusmodi casibus dubiis tutius sit, nocentem absolvere, qvàm innocentem condemnare. Unde per consequentiam idem dicendum erit etiam de Inquisitione Judicis, utpote qvæ pari passu cum illis ambulare debet, cùm illarum vicibus fungatur. *l. 18. pr. ff. de Off. Præf. l. 2. C. de abolit. Crim. C. qvaliter & quando. 24. de Accus. Richt. p. 1. decis. 21. n. 43.* qv od moribus hodiernis vel ex eo constat, qv oniam delicta ferè omnia officio Magistratùs cœercentur, atq; hinc parùm utilis futura esset illarum præscriptio. *Carpz. Pr. Cr. p. 3. qv. 141. n. 18. seqq.*

XXVIII. Sunt tamen Accusationes quædam etiam angustiori tempore coarctatæ, ut sunt Quæstiones ferè omnes ex L. Juliâ de Adulteriis, *l. 29. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult.* quibus à tempore commissi delicti præscribitur quinquenniò, *l. 29. §. 7. l. 31. ff. & l. 5. C. d. t.* qv od tempus & adhuc hodiè in Simplici adulterio in foro Saxon. observatur, uti expressè sancitum est *in Noviss. Decis. Elect. 84.* Sed an per istud quinquennium etiam reliqua remedia tolluntur, quibus propter adulterium pars innocens
contra

contra nocentem agit ad interessè privatum? Resp. neg. sed adhuc agere poterit uxor ad matrimonium rescindendum, ad dotem repetendam, & donationem propter nuptias lucrandam. *Vol. 2, Dissp. Tubing. Dissp. de Præscr. Crim. §. 16.*

XXIX. Quædam è contrario Accusationes præscriptionem penitus effugiunt, ita ut illis ne quidem tempore longissimò præscribatur, ut puta Criminis parricidii, *l. fin. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* Suppositi partus, *l. 19. in fin. ff. ad L. Corn. de fals. Apostasie, l. 4. C. de Apostat. & Accusatio Crim. Iæsa Maj., de quâ Carpz. Pr. Cr. p. 1. qv. 41. & Richt. d. decis. 21. n. 43.*

CAPUT III.

Ubi explicatur, quibus Remediis jus per Præscriptionem quasi-
tum in Judicio defendi possit.

I.

Consideratis iis, quæ ad Præscriptionis nostræ cursum necessaria vicia sunt, hoc Capite Remedia, quæ completâ legitimè Præscriptione unicuique sint concessa, evolvemus. Et quantum primò ad præscriptionem Actionum vel Accusationum, si fortè nihilominus de facto moverentur, Reus contra easdem ipso jure tutus erit ope Præscriptionis, per modum Exceptionis allegatæ, *l. un. C. de Usuc. transf. l. 3. & 4 C. de præscript. 30. vel 40. ann. Ord. Proc. Sax. tit. XI. §. es wehren dann/modò etiam ex actis fiat liquida, Zang. de Exc. p. 3 Cap. 10. n. 19 & quidem ita, ut ulteriorem non requirat indaginem, uti ostendunt rationes decidendi *Facult. Francfurt. ad Oder. in Leuterungs-Sachen etlicher von der Ritterschafft wider den Rath und Brauerschafft zu Cöthen/ das Bierbrauen auf den Adl. Höffen und Belegung ihrer Schencken betr. quas vide ap. Theodos. Schöpffer. Advoc. Ord. Quedlinb. qui olim latuit sub nomine Zytbandri à Bude, in Tr. de jure braxandi, part. 2. Cap. 2. n. 197, Imò de jure Saxonicò constitutum est, ut Judici eò casu præscriptionis exceptionem, etiam à parte non oppositam, ex officio supplere liceat, *Const. Elect. 25. p. 1. Qvin & si Judex hoc non fecerit, nec præscriptionis exceptionem suppleverit, sententiam contra Reum latam nunquam in rem judicatam transferre, sed haud obstante exceptione rei judicatæ, semper retractari posse tradit Berlich. p. 1. Concl. 58. n. 18. arg. l. 1. l. 2. & t. t. C. si ex fals. instrum. vel test. jud. & generaliter in Causis tam Criminalibus quàm Civilibus id verum esse, præjudiciis confirmat Carpz. ad d. Const. def. 2. in fin. & def. 3. in fin.***

II. Quantum verò ad completam Præscriptionem Jurium, cum hodiè nulla exceptionem tantum tribuat, sed omnis, etiam longissima &

Centenaria vel immemorialis, effectum acqvirendi obtineat, *docente Hahn. ad Wes. de Usurp. n. 3.* inde etiam, si quando exercitium illorum impediatur, circa tuenda illa varia competunt remedia, quæ vel Petitoria vel Possessoria.

III. Ex Petitoriis datur actio Confessoria, cujus hæc est natura, quod detur semper ratione alicujus juris nobis vel prædio nostro in re alterius competentis, adversus quovis modò impediens, ad ejus declarationem, utq; is ab impedimento cesset & eò nomine caveat. *Schneid. de Act. §. æqvè. n. 7.* An verò etiam heredibus ejus, qui præscripsit, hæc actio detur, quæritur: & omninò distingvimus inter jura *personalia* & *Realia*. Pro personalibus prædicta actio heredibus non competit, sed morte præscribentis extingvitur, *arg. §. finitur. 3. I. de Usufr. & pr. I. de Usu & habit. l. 14. & l. 16. C. de Usufr.* Sed pro Realibus maximè etiam datur heredibus. *Oldend. Class. 3. act. 4. n. 4.* Prætereà non tantùm domino directo & illi, qui plenum ejus prædii, cui jus aliquod per præscriptionem acquisitum est, datur, sed utiliter etiam Emphytevtæ, *l. 16. ff. de Servitut. Valallo, 2. F. 8. §. rei. vers: nam & Servitutem,* nec non Creditori, qui pignori accepit prædium, *per text. apert. in l. ei qui. 16. ff. de Servit. add. l. 9. ff. de N. O. N. & l. un. §. fin. ff. de Remission.* item Usufructuario, non tantùm pro ipso Usufructu, quod extra dubium est, sed etiam pro juribus realibus fundo Usufructuario debitis, *per l. si ususfructus. 22. ff. de aqv. & aqv. plur. & l. un. §. 4. ff. de Remiss.*

IV. Ex Possessoriiis utiliter dantur (1.) Interdictum uti possidetis, contra quovis modò turbantes, *arg. l. 20. ff. de Serv. l. 8. §. 5. in fin. ff. si Serv. vind. l. ult. in fin. ff. uti possid. add. Eck. §. 3. eod. ubi dissentienti Wissenb. respondet.* (2.) Interdictum Unde vi, adversus eum, qui vel ipse vel per alium de qs. possessione dejecit, *ex Constitutione l. si quis in tantam. C. unde vi. conf. l. 3. §. 17. ff. de vi & vi arm. Menoch. de recup. poss. rem. 1. qv. 8. n. 81.* etiam contra Magistratum vel Judicem, qui absq; causæ cognitione saltem de facto aliquem in possessione vel quasi turbavit. *Carpz. Lib. 1. Resp. 2. & Gail. 2. obs. 76.* (3.) Interdictum quod vi aut clam, *l. 6. §. 1. ff. si serv. vind.* quod generaliter & indistinctè illis conceditur, quorum interest, opus factum non esse, *l. 11. §. ult. & l. 16. ff. quod vi aut clam.* & deniq; Interdicta etiam alia, quæ de retinendâ vel recuperandâ possessione vel qs. positis ubiq; terminis habilibus competere solent, de quibus videri possunt *Dd. ad Lib. XLIII. fforum.* Ex jure quoq; Canonico competit remedium *Can. redintegranda. 3. qv. 1. caus. 3.* si scilic. quis per injustas causas & non suò

suò factò & culpâ de qs. possessione juris antea præscripti iterum cade-
ret, *Carpz. p. 2. C. 8. d. 2.* atq; hoc remedium generale, tutissimum, & quia
cum aliis omnibus concurrat, plenissimum vocat *Gail. 2. obs. 75. n. 10. Vid.*
de hoc remedio latissimè Menoch. de recup. poss. rem. 15. per tot.

V. Moribus hodiernis, præcipuè Saxonis, ubi de Juribus Incorpo-
ralibus oritur controversia, vix à Petitorio initium fieri solet, sed ex
communi Forensium observantiâ eò postpositò eligitur ferè semper
Possessorium, propter facilem demonstrationem Possessionis; nisi quis
(1.) in ambigua possessione sit constitutus, tali enim casu, arbitriò agen-
di sibi relictò, tutius experiri posset judiciò petitoriò: vel etiam (2.)
cum judicio possessionis adipiscendæ vel recuperandæ, (nequaquam
verò retinendæ, *Hartm. Pistor. p. 4. qv. 18. n. 4. Carpz. Proc. Tit. 1. art. 5. n. 11.*
Dn. Schwendend. in Not. ad Proc. Fibig. p. 2. cap. 1. m. 2. S. 3.) simul Petitori-
um cumulare velit: Nam & hoc Litigatoribus, si ita ipsis placuerit, an-
nuendum esse, docet *Carpz. d. l. n. 14.* propterea quod omnia judicia ho-
diè dicantur Extraordinaria, ita ut extra ordinem pro lubitu agere va-
leant litigantes. *§. ult. I. de Interd. Cap. 3. 4. 5. & 6. de Caus. poss. & propriet.*
Ritterbus. de differ. jur. Lib. 5. Cap. 2.

VI. Est autem Possessoriorum Processus vel Summarius vel Ordinari-
us. In illo hodiè Judex competens imploratus vel etiam ex officio, si tu-
multus aliudvé periculum inter partes metuendum, sepositis juris
positivi solennitatibus, solâ facti turbativi veritate probabiliter inspe-
ctâ, solet celeriter & summarie procedere, assignando illi possessionem,
qui omnium optimè de præsentaneâ & non litigiosâ fidem facere pot-
est, ita tamen, ut relinqvat parti adversæ arbitrium, partes Actoris con-
tra obtinentem iterum suscipiendi, & vel Ordinario Possessorio vel ipsò
Petitoriò eundem evincendi. *Conf. Mev. p. 3. dec. 91. & 94. & Brunn. Proc.*
Civ. c. 1. n. 48. Quomodo verò pro ratione Circumstantiarum judicium
in Processu Summario sit temperandum, ne ansam conqverendi liti-
gantes arripiant, quasi non satis auditi, nec causa hinc inde sufficienter
cognita & ponderata fuerit, dilucidè more suo proponit *Carpz. in sa-
pius alleg. Pr. Tit. 1. art. 1. & Tit. 23. art. 1.*

VII. In Superioribus Judiciis, & præcipuè in Curiis Provincialibus
Saxonis, si de retinendâ possessione vel quasi agitur, *Carpz. decis. 225.*
n. 20. frequentantur adversus injustè turbantem Inhibitiones, si scil. tur-
bator immediatè in Curiis Provincialibus conveniri possit: Nam con-
tra Amtsfassios & Subditos Civitatum Municipalium, nec non contra
eos,

eos, qui subsunt tribus Episcopatibus, Misnensi, Martisburgenfi & Naumburgenfi, inhibitiones à Curiis Provinciali decerni non possunt, *propter O.P. de annò 1612. Tit. von Justitiens Sachen. n. 9. vers. Sonderlich aber bey Ertheilung der Inhibitionen. Conf. Rescript. Elect. allegatum à Carpzov. d. Tit. 23. art. 3. n. 15.* Latius de istis Inhibitionibus, & quæ præcedere solent, Monitoriis & Excitatoriis, item de illarum cassatione vel confirmatione in casu factæ vel non factæ partitionis, *vid. Carpz. d. Tit. art. 2. & seqq. item Lib. 1. Resp. 19. usq; ad Resp. 32. & succinctè cum suppeditatis formulis. Dn. Schwendend. in Not. ad Proc. Fibig. p. 2. Cap. 1. m. 2. S. 3.*

VIII. Processus Possessorius Ordinarius aliter hodiè in foro Imperiù, aliter in foro Sax. formatur, de quò videri potest *Fibig. Process. p. 2. Cap. 1. memb. 1. Sect. 2. ibiq; alleg. g.* Nos hæc vice notamus tantummodò differentiam Possessorii Ordinarii à Petitorio, quæ consistit in hoc, quod in petitorio agatur de proprietate vel aliò Jure in Re; in Possessorio verò tantum de Possessione vel quasi, *fac. l. 14. §. 3. ff. de Exc. rei judic. Struv. Ex. 45. §. 173. Eck. §. 3. n. 3. de Judic.* sicuti aliàs etiam differt res ipsa à possessione rei, jus ipsum ab exercitio juris. Summarium v. & Ordinariù Possessorium ita invicem differunt, quod licet in utroq; agatur de possessione vel quasi; tamè in illo sufficiat, si semiplenè & aliqualiter, e.g. per testem unicum, *modò is juxta decis. Sax. Noviss. 1. sit juratus, ostendatur possessio junior & præsens, Mey. p. 3. dec. 91.* In hoc verò legitimis & plenis probationibus solenni ordine docenda sit possessio antiquior, *Id. d. l. decis. 94. conf. Brunn. Proc. Civ. c. 1. n. 48. Gail. Lib. 1. obs. 7. n. 7.* An autem probationes, e.g. testes in judicio Summario recepti fidem faciant in Possessorio Ordinario, *vid. latè Gail. 1. obs. 103. per tot. & Mascard. de Probat. concl. 1210.* qui simul etiam præclare tractat, quomodo possessio rerum tam Corporalium quàm Incorporalium probetur, *Concl. 1184, usq; ad 1197.* quò nos brevitàis causa remittimus.

IX. Cæterùm silentiò prætereundum non est, quid ei, qui vel excipiendo vel agendo se fundat in præscriptione, veniat probandum? Et in genere quidem præscriptionem, cum facti sit, non posse præsumi, nisi probetur quasi possessio per ejusmodi tempus, quod sit exclusivum omnis interruptionis, manifestè patet *ex C. auditis. de præscr. & ex C. veniens. eod.* etiamsi talem quis alleget, de cujus initio non extet memoria apud homines, *ut tradit Mascard. de prob. concl. 1219. n. 5.* Sed an in specie etiam omnes Qualitates suprà ad præscriptionem inducendam requisitæ, veluti *Titulus & bona fides ab allegante debeant probari, controversiâ non caret.*
Ne-

Negantium tamen opinio nobis videtur probabilior. Nam quod primo attinet Titulum, de eo expressè dicit *Gl. in c. dilectio tua. in verb. offerre. 16. qv. 3.* quod si quis probet cursum temporis requisiti ad præscriptionem, & alleget titulum, præsumi titulum, ex cursu temporis. *add. cap. illud. de præscr.* atque hoc maximè, si alterius patientia adfuerit, *fac. text. in l. si filiusfam. 10. C. de petit. her.* Aliàs enim sequeretur absurdum, quod quis compelleretur, semper tenere parata instrumenta suorum Titulorum, quod vix ac ne vix quidem fieri potest, cum possint igne comburi, vetustate consumi & aliis multis diversis casibus amitti, ut experientia optima rerum magistra nos quotidiè admonet. *Menoch. de retin. poss. remed. 3. qv. 73. n. 588. seqq. & de recup. poss. remed. 15. qv. 36.* Et licet dissentientibus concedamus, quod fundans se in præscriptione teneatur titulum in genere saltem allegare, nempe petita per ipsum sibi deberi ex justâ & legitimâ causâ; tamen illorum sententia non procedit in allegatione & probatione Tituli Specialis. *Mascard. de Prob. concl. 1378. n. 29. seqq.* nisi jus commune, consuetudo vel urgens præsumtio sit contra præscribentem, *per cap. 1. de præscr. in 6.* Exemplum vid. *in cap. ad decimas. de restit. spol. in 6.* Accedit, quod ipsa etiam Scientia ex temporis cursu præsumi possit, cum vix possibile foret, ut quis nesciat, adversarium uti jure aliquo vel servitute in fundo suo per integros 10. annos & ultra: Atqui hæc unâ cum patientia in Incorporalibus locò tituli habetur, *l. 2. C. de Servit. & aqv. maximè si ipse Dominus possideat, conf. dicta c. 2. n. 10.* Sed ita quidem de jure Communi, quod si enim Consuetudine Particulari vel Statutò introductum esset, ut de titulò & adversarii scientiâ & patientiâ doceatur, cujusq; loci moribus standum erit. Atq; ita obtinere de jure Bavarico tradit *Manz. d. tr. de Servit. Tit. 1. qv. 11, n. 164.*

X. Quod attinet, porrò Bonam fidem, perinde negamus, quod ab eo, qui se in præscriptione fundat, debeat probari. Et quantum ad præscriptionem Immemorialè, videtur omninò illud expeditum, cum ex immemorialitate temporis & titulus & bona fides & scientia ac patientia adversarii præsumantur: tantò enim tempore possessum præsumitur ab Autoribus suis justè possessum, *C. 1. de præscr. in 6. add. l. 3. §. ductus aqvæ. 4. ff. de aqv. quot. & estiv. C. super quibusdam. §. praterea. de V. S. Manz. Tit. 1. de Servit. qv. 11. n. 154. Schneid. de Usuc. rubr. de Specieb. præscr. n. 32.* Unde etiam sequitur, quando quis probare potest, se & Antecessores suos fuisse jure aliquò usos in fundo vicini per tempus immemoriale, quod adversus quemcunq; præscribat, sive dein talis fundus ab ipso Domino, vel ab

D

Em

Emphyteuta, Vasallò aut simili, vel ab aliquo tertio possideatur, etiam in casu, quò fundus Emphyteuticus v. g. ad Dominum reverteretur, quia res transit cum suo onere. Præterea quoque in præscriptione temporis longissimi 30. vel 40. annorum bonam fidem non esse probandam, sed & ibi ex cursu 30. vel 40. annorum eandem præsumi, consentiunt modò alleg. Dd. ita tamen, ut contra hanc omninò admittatur probatio in Contrarium, *Struv. S. 7 F. cap. 8. §. 12 n. 3.* cuius probationis aliquot modi referuntur per *Schneid. cit. tit. de Usuc. rubr. de Specieb. præscr. n. 23. seqq.* Quod verò attinet præscriptionem longi temporis, in istâ bonam fidem à præscribente probandam esse varii voluerunt. Nos verò sepositâ hâc Sententia asserimus, ne quidem in præscriptione longi temporis eandem esse probandam, quia ex possessione etiam longi temporis bonam fidem colligimus, modò doceatur longa quasi possessio, uti in terminis tradit *Mascard. de probat. concl. 224. n. 27. item concl. 225. n. 14. & 1214. n. 19. add. l. 1. §. ult. ff. de aqv. & aqv. pluv.* regulariter enim bona fides semper præsumitur, *l. pen. C. de evict.* sicut quilibet etiam in dubio præsumitur bonus; & nemo præsumitur malâ fide, (quæ delicto proxima est,) agere, te non impediante vel non reclamante. *l. 51. pr. ff. pro Socio.*

XI. Notandum autem, quod licet bona fides non sit per præscribentem probanda, tamen ex communi Dd. calculo eandem esse allegandâ, per text. in *l. si adult. 38. §. 7. ibi: si error allegetur, ff. ad L. Jul. de adult. Mascard. de prob. concl. 1220. n. 48. Carpz p. 2. C. 3. d. 7. n. 14. Schneid. de Usuc. n. 26.* adeò, ut si talem allegationem quis omittat, in causâ deinde succumbere debeat, *docente Zang. de Exc. p. 3. c. 19. n. 104.* Non tamen placet nobis sententia *Schneid. d. l.* affirmantis, si bona fides in Articulis probatoriis per articulantem omittatur, iiqve solummodò ad usum vel possessionem longi temporis concipiantur, contra articulantem deinde ex hoc solo esse pronunciandum. Nam quod probandum non est, etiam non erit necessariò in Articulos probatorios redigendum. Præterea ipsemet fateatur *Schneid. v.* sufficere bonam fidem allegari: atqui non tantum in Articulis probatoriis, sed etiam extra eos in reliquo processu allegari potest, imò effectivè & virtualiter ejus allegatio præsumitur ex deductis, si quis aliàs de præscriptione plenè docuerit. *Additio ad Schneid. d. t. n. 27. Mascard. de prob. concl. 224. n. 22.*

XII. Illud adhuc libamus, qualiter Continuatio Qs. Possessionis Incorporalium legitimè probetur: Nam hæc potissima cura erit ejus, qui Præscriptionem allegavit. Atque hoc contingit per probationem Extremitatum temporis ad præscriptionem requisiti, scil. si demonstretur prin-

principium & finis, *l. siue possidetis 16. C. de probat.* Probatis enim extremis præsumuntur media, *Gl. in c. accedens. 17. super verb. processu. de conuers. conjug. & in cap. volumus. in verb. inconcussum. 16. qv. 4.* Imò etiam sufficit probare solum principium, & ostendere, ab illo termino lapsum esse tempus requisitum ad præscriptionem. Ratio est, quoniam possessio in solò animò consistere & retineri potest, §. 5. *l. de interd. l. licet. C. de acqv. poss. & l. 3. §. in adimenda. ff. eod.* mutatio autem voluntatis animi non præsumitur; nisi probetur Contrarium. *C. licet. de procur. in 6. add. l. 22. ff. de probat. l. nec Creditoris. C. de pignor. act.*

XIII Cæterum ut dicta testium concludant tempus Continuum, tutius esse monet *Schneidew.* si in formatione Articulorum probatoriorum medium quoque tempus comprehendatur, *cit. l. n. 63.* ubi addit formulam articulandi. Præterea in hoc etiam debet esse cautus, qui vult præscriptionem probare, ne arctet se vel clientes solum ad tempus præscriptioni necessarium, ut 40. ann. contra Ecclesiam, *c. de quarta. & c. illud de præscr.* nam si sic se astringat, facile inuenietur aliquid interim occurrisse, quod fecit dormire præscriptionem, ut in *C. ex transmissa. de præscr.* quò patefactò inutilis esset probatio. Unde in allegatò exemplo articulare debet præscriptionem probaturus, se jus præsens exercuisse 40. 50. aut 60. annis vel ultra, & tantò tempore, cuius initii vel contrarii memoria non extat, & sic testes deponent, de quantò tempore noverint, secundum *Mascard. de prob. concl. 1222. n. 22.* Quæ omnia in foro etiam ita observari dubio caret.

CAPIT IV.

In quo proponuntur ea, quæ Præscriptionem Incorporalium visa sunt vel impedire vel adimpletam rescindere.

I.

Sicuti nihil ferè in negotiis hominum indissolubili adeò nexu colligatur, quod certis iterum modis non possit everti: ita etiam Præscriptio haud rarò, si quid à parte adversà in Contrarium legitimè probatum fuerit, vel impeditur, vel vis ejus & effectus penitus cassatur, de quo paucis dicendum restat.

II. Impeditur autem Præscriptio Incorporalium, ut præcipuos tantum casus complectar, (1.) ob malam fidem præscribentis, & hodie quidem ex consuetudine Universali in perpetuum, non ratione initii tantum, sed & progressus, licet bona fides initium dederit præscribenti. *Habr. ad Wes. de Usurp. n. 15. Francisc. de Caldas Cons. 27. n. 51.* (2.) ob reverentiam filiorum patri & uxoris marito debitam, *Carpz. p. 2. C. 3. d. 11. & Lib. 1. Resp.*

40. (3) ob ætatem adversarii pupillarem, *l. 48. ff. de A.R.D. l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann. & regulariter etiam ob minorem, l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest. non est nec. Struv. Ex. 43. §. 10. & Carpz. p. 2. c. 9. d. 2* non tamen his casibus in perpetuum, sed tantummodò ad tempus: duntaxat enim durante obstaculo dormire q̄s. præscriptio intelligitur, quò remotò priora tempora junguntur cum sequentibus ad absolvendam præscriptionem inchoatam, *Wes. π. de Usurp. n. 15.*

III. Pariter accidit (4.) ob bellum & pestem, modò ob ejusmodi causas publicum etiam & generale justitium fuerit, per ea, quæ dicta sunt *ε. 2. n. 5. add. R. I. de A. 1654. §. So viel nun die Capitalien anlanget. Mev. p. 4. dec. 311. Carpz. decis. 116. n. 25. Berlich. p. 3. conclus. 5. n. 5.* (5.) ob Dilationem moratoriam à Principe alicui indultam: hæc enim durante adversus Creditores non currit Præscriptio, *l. fin. C. qui bon. ced. poss. in fin. ibiq. Gothofr.*

IV. Deniq; incepta legitime Præscriptio aliquando etiam impeditur per interruptam possessionem, quando nempe præscriptio interpellatur & ita destruitur, ut ab initio iterum sit inchoanda: qualis actus Jctis unò verbò dicitur Usurpatio, *l. 2. ff. de Usurp. l. 10. C. de A & R. P.* & dividitur in Naturalem & Civilem. Naturalis in terminis nostris contingit, quando quis ab usu rerum Incorporalium factò aliquò naturali, e.g. per pignorationem arcetur, *l. 4. §. 27. de Usurp.* Jure tamen Sax. ut pignoratio habeat effectum interrumpendi, requiritur, ut pignora illa tradantur Judici ejus loci, aut Præfecto proximo, in das Gericht/darinn der Grund gelegen/oder in das nechste Ampt. *Const. Elect. 7. p. 2. Carpz. Lib. I. Resp. 8.*

V. Civilis Usurpatio contingit, quando factò aliquò Civili juris exercitium interpellatur, sive judicialiter sive extrajudicialiter.

VI. Illò modò per Citationem, ut accidit jure Civili in præscriptione longissimi temporis, *Struv. Ex. 43. §. 28.* & Saxonico in annali & tricennali; modò facta fuerit Citatio ad causam in judicio Ordinario ventilandam: Nam quæ ad processum Summarium vel Extrajudicarium, *zur Berhör der Sachen/* facta est, præscribenti non oberit, nisi contra eundem post ejusmodi cognitionem datum sit decretum. *Carpz. p. 2. c. 7. d. 4. 5. & 6. & decis. 34. n. 3.* Effectum hunc Citationis ex practicâ Curiarû Provinc. Sax. habet etiam Monitorium, quod Inhibitiones præcedere solet, *docente Carpz. L. I. Resp. 23. n. 8.* Porrò per Libelli oblationem, si adversarii copia esse nequeat, vel etiã infantia, furor aut potentia ejusdem obstet, *l. 2. C. de ann. except & maximè in præscriptione Longi temporis per Litis Contestationem, l. 10. C. de præscr. long. temp. 10. vel 20. ann. ibiq. Brunn. n. 2.* modò adversarius in prosecutione contra possessorem obtinuerit; *sin n. absol.*

absolvitur possessor, tunc nihil litem motam præscriptioni obstare putamus. *l. 9. §. 6. ff. ad exhib. Barb. ad Wes. n. ult. de Usurp. & Usuc.* E contrario a. si adversarius obtinuerit contra possessorem, interrupta erit præscriptio per Citationem aut Litis Contestationem, licet tempus impletum fuerit ante judicatam litem *l. 10. C. de A. vel A. P.* Quod si cessaverit adversarius in lite prosequenda, interruptio hunc habebit effectum, ut ipsi perpetuetur actio prosequenda usque ad 40 ann. à tempore illò, quò novissimè cognitio facta est. *l. fin. C. de præscr. 30. vel 40. ann. Struv. Ex. 43. §. 29.*

VII. Extrajudicialiter contingit interpellatio per quemcumque actum dispatientiae, puta per Contradictionem, protestationem vel prohibitionem, *l. 4. §. si viam. 27. ff. de Usurp. Coler. de proc. Exec. p. 1. c. 3. n. 9. & 92.* qui tamen actus non ita simpliciter præscriptionem interrumpunt, sed eodem casu, si prohibitio habuerit effectum, arg. *l. fin. verb. si prohiberetur non facturus. ff. de itin. actus priv. Carpz. p. 2. C. 7. d. 8.* vel etiam, si ob defectum Judicis testatò quis contradixerit, *fac. l. 2. C. de ann. Except.*

VIII. Illud in specie de actionum Criminalium sive Acculationum præscriptione notandum adhuc est, quod & ista aliquando impediatur, n. p. ob fugam & absentiam reorum, maximè, si fugiens per Edictum citatus die præfixâ non comparuerit, & postea propter contumaciam proscriptus fuerit. *Carpz. Pr. Cr. p. 3. qv. 141. n. 55. 56. & seqq.* Et h. l. quaeritur, *an Reus, si post impletum Præscriptionis tempus spontè delictum coram iudice fateatur, non obstante præscriptione possit puniri?* Negant alii, alii affirmant. Nos distingvendum esse putamus, an præter confessionem rei aliunde quoque de delicto & ejus qualitatibus certò constet; an verò nulla aliâ adsint probationes, quæ religionem Judicis satis instruere possint. Priori casu poterit confessus condemnari; non verò posteriori, quoniam fieri posset, ut quis tædio vitæ vel aliâ ex causa delictum fateatur, nec perpetratum fortè nec cogitatum, quem statim ad mortem condemnari, nimis esset rigorosum, ne dicamus periculofum. *add. Vol. 2. dispp. Tubing. disp. de præscript. Crim. §. 26.*

IX. Atque hætenus de modis initium & progressum Præscriptionis nostræ impredientibus. Ultimò nunc videndum est, quomodo adimpleta legitimè Incorporalium præscriptio cassari iterum & resolvi aliquando possit. Atque hoc in Juribus Incorporalibus præcipuè contingere dicitur (1.) *per non usum* tempore 10. annorum inter præsentem & 20. inter absentes, nullâ habitâ differentiâ inter jura Continua & discontinua, *per l. sicut. 13. C. de servit. & aqv. exceptis saltem discontinuis illis, quæ longiora temporum intervalla habent, ut si æstate tantum aut alternis*

annis aut mensibus exercitium competeret: tunc enim duplicatō tempore amittuntur, *l. 7. ff. qv. serv. am.* quod idem obtinere dicimus in intervallis hebdomadarum, *arg. d. l. 7. qvarum intuitu tamen aliter statutum esse jure Bavarico probat Manz. tit. qv. serv. amitt. n. 80.*

X. Sed quæritur, *quomodo tempus constitutum duplicari debeat?* Respondetur à quibusdam, ita duplicandum esse, ut 20. anni inter præsentēs & 40 inter absentes numerentur, *uti tradidit Wesf. π. qv. serv. am. n. 6. & Vinn. Comm. in l. de S. R. & U. P. §. 4. n. 6. qvò inclinare etiam videtur Eck. §. 1. in fin. qvib. mod. ususfr. vel usus amitt.* Sed de jure Civili verior est sententia, quod tempus duntaxat 10. non autem tempus 20. annorum duplicari debeat, adeoq; inter absentes etiam illa jura, quorum usus & exercitium intervalla annorum vel mensium habet, 20. annis amittantur, *per text. in l. ult. C. de Serv. ubi disertè à Justiniano constitutum est, ut, si haberet quis servitutem, ut qvintò qvòvis annò, unò tantùm die ire possit, eandem per quatuor quinquennia non usu vel desidiâ amitteret.* Cùm itaq; de intervallis quinquennii ita constitutum sit, meritò id de brevioribus etiam intervallis dicendum erit, præsertim cùm non distingvat Imperator, an absens vel præsens sit, qvì servitute non utitur, sed simpliciter & indifferenter statuat, ut Servitutes atq; ita alia etiam jura Incorporalia propter non usum 4. quinquenniorum seu 20. annorum amittantur, & ille, qvì tam longo prolixoq; spatiò jus suum minimè consecutus est, ferâ pænitentiâ ad pristinam servitutem reverti desideret. Ratio est, tùm, qvìa tempus 20. annorum jam est duplicatum, undè amplius duplicari non debet, ne detur duplicatio duplicationis, vel retorcutio retorcutiois, *post Bald. & Bart. Capolla de S. U. P. Cap. 24. n. 4. & 5. consentit Franzk. in Comm. ad ff. tit. qv. serv. am. n. 35. tùm præcipuè in materiâ Servitutum favor libertatis & odium negligentis, d. l. vers: tunc eam penitè amittat 20. annorum desidiâ. Habn. ad Wesf. d. t. n. 6.* Jure Saxonico Servitutum aliorumq; jurium amissioni idem tempus tributum est, quod illorum acquisitioni *§. N. Lib. 1. art. 29. Schurff. Conf. 69. n. 17. Cent. 1. Præjudicium vide ap. Beat. Cent. sent. Sax. tit. 29. vom Bierbrauen.*

XI. Cæterùm prædicta sententia, quantum ad amissionem Servitutum, ita ampliatur, ut Rusticæ, & pari passu jura his consimilia, solâ ejus, cui competunt, cessatione & non usu amittantur, *l. 7. junct. l. 19. §. 1. ff. qv. serv. am.* restringitur verò in Urbanis, ut à domino prædii servientis bonâ fide interveniat factum aliquod servitutis impeditivum, per quod libertatem rei suæ usucapiat, *l. 6. ff. de S. P. U. l. 4. §. fin. ff. de Usurp.* Rationem dissimilitudinis tradunt, quoniam cùm Urbanæ dicantur Continuas,

nuæ, quæ solâ ejus, qui eas debet, patientiâ absq; hominis factô perpetuum habeant usum, inde præter non usum factô opus esse, quod argumentum sit interruptæ patientiæ, *d.l.6. & l.18. in fin. qv. serv. amitt. Strauch. diff.7. § 27.* Contrâ Servitutes Rusticas esse discontinuas, quarum usus consistat in factô hominis: unde ex sola cessatione ejus, cui servitus debetur, negligentia ipsius sufficienter colligatur, & propter hanc jus ipsum Servitutis pereat & extingvatur *Franzk. d. t. n. 37.* Sed notamus, hanc inter Servitutes Rusticas & Urbanas ratione amissionis differentiam Dd. bus natam esse tantùm à potiori, quoniam scil. servitutes Urbanae à potiori sunt Continuae, & Servitutes rusticae à potiori discontinuae. Aliàs enim inconueniens non erit dicere, quod si detur Servitus Urbana discontinua, ea solô non usu amittatur sicut Servitus Rustica, & contrâ, Servitus Rustica Continua non amittatur solô non usu, nisi accedat factum hominis ad præscribendam libertatem destinatum. Et hoc ob easdem rationes, quas aliàs applicare solent prædictæ differentia, *add. Manz. alleg. tit. n. 92. seq.*

XII. Cautè autem diximus, quod ad id, ut libertas usucapiatur, factum impeditivum intercedere debeat bonâ fide: Nam qui scienter aliquid, quod juri alterius contrarium est, facit, agit contra justitiam & injuriam infert illi, cui servitus vel aliud jus debetur. Unde etiam jure Canon. talis præscriptio libertatis non procedit, *c. ult. de præscription. dissent. Franzk. tit. qv. serv. am. n. 38.* In reliquis tamen Servitutibus & ejusmodi juribus, ad quorum amissionem factum hominis non requiritur, sed solâ cessatione sive solô non usu pereunt, scientiam ejus, qui servitutis vel alterius juris exercitium concedere debet, nihil impedire putamus, quò minùs servitus & jura consimilia amittantur: quoniam nemo tenetur admonere alium, ut suò jure utatur, licet teneatur ad hoc, ut non impediatur uti volentem. *Manz. d. l. n. 105.*

XIII. Illud etiam circa non usum observandum, quod ita demùm cassationem juris operetur, si usus & occasio se etiam obtulerit ejus exercendi; aliàs enim nullum tempus impedimento esse poterit, quò minùs obveniente occasione non tantùm quis jure suò uti, sed & reliqua, sine quibus exercitium ejusdem minùs commodè fieri potest, restaurare iterùm & renovare queat. *Vid. Gail. 2. obs. 60. n. 6. & præjudicium ap. Carpz. p. 2. C. 3. def. 23.*

XIV. Resolvitur aliquando etiam præscriptio nostra (2.) per Restitutionem in integrum, quâ Prætor extra ordinem deficiente remedio ordinariò ea, quæ merò & summò jure valent, ex justâ causâ rescindit, & in
pristi-

pristinum statum reponit. *Eck. §. 1. de in integr. restit.* Circa hanc restitutionem in terminis præscriptionis quæritur, *quænam sint illæ justæ causæ ad eandem impetrandam, & num majores 25. annis ex Capite justæ & probabilis ignorantie eadem opus habeant?* ad illud respondemus, quod ipse Prætor vel Judex ex Circumstantiis personarum, locorum, temporum aliarumq; rerum, cujusq; causæ momenta ponderare, & prout ipsi justa vel injusta videbitur, restitutionem concedere debeat vel denegare, *fac. text. in l. 1. ff. de in integr. rest. vers: si quæ alia justa causa mihi videbitur.* Ad hoc verò respondemus negando: quoniam justa ac probabilis ignorantia, (qualem exemplificavimus in terminis facti alieni *Cap. 2. n. 7.*) ipsò jure impedit, ne currat vel procedat tempus Præscriptionis, per ea, quæ probavimus *d. Cap. n. 4.* Ergò etiã contra ejusmodi Præscriptionem, quæ procedere non potuit, neutiq; majoribus 25. annis opus erit Restitutione; quin potiùs tuti erunt adhuc remediis Ordinariis, *l. pen. pr. de jur. & fact. ignor. Conf. H. de Roy supra alleg. tr. Lib. 3. tit. 8.*

XV. Tolle deniq; præscriptionem omnimodò posse *per Statutum*, à quibusdã statuitur, *testante Wes. de l. surp. & Usuc. n. 14.* quod ipsum tamẽ non adeò amplectendum erit, quoniã perpetuò interest Reip. ut aliquis litium sit finis, *l. fin. ff. pro suo.* & Statuta reprimendarum litium gratiã, non ut novarũ occasio fiat, debent promulgari, *Conf. Habn. ad Wes. d. l.* An autem præscriptionis Exceptioni per pactum inter privatos possit renunciari, quæstionis etiam est: Arridet nobis affirmativa, *per l. 31. §. 22. de edil. edict.* quoniam cuilibet integrũ est, beneficiis & juribus suis renunciare, *l. 51. C. de Episc. & Cleric. Nov. 136. c. 1. add. Schurff. Cent. 1. conf. 14. n. 3. & 6.*

XVI. Ultimò de Præscriptione & hæc mota est quæstio: *An nõ adimpletã licet præscriptione ob supervenientem rei alienæ vel juris nõ ita competentis scientiam possessor teneatur ad restitutionem?* Negativam prævalere tam in foro Conscientiæ, quàm in foro Soli nos tutò arbitramur, quoniã justè & auctoritate juris aliquid possidens, illud absq; peccato retinere ac conservare potest, cum jus ipsum etiam Naturæ & divinum patriis Legibus, ut iisdem obligemur, adsistat.

Plura adponenda essent, nisi inopiã temporis, ne dicam sumtuũ, præcluderemur. Hic ergò subsistim9, veniã vel etiã meliorem informationem sperantes ab æquo & candido Lectore, si quæ erratũ, vel non ubiq; ejus Sententiæ fuerit subscriptũ. DEO Trin-Uni, SERVATORI MEO UNICO, cui9 Supereminenti in Orbem Terrarũ Dominio nulla temporũ Senect9, nullæ Seculorũ Myriades quicquã derogabunt, sit LAUS, HONOR & GLORIA.

(0)

2





ULB Halle
006 682 162


3



VON







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

1678, 31a
13

B.
PTIONE
PORA-
M,
TATE
RUM ORDINIS
A LIPSIENSI
DE
ISSIMO, EXCELLENTISSIMO
TSSIMO,
EO LEONHAR-
NDÖRFFERO,
UBLICO, CUR. SUPR. PRO-
T. JUR. ASSESSORE, CAPI-
ICO ET ACADEMIÆ
RO,
EBERRIMO
IMO,
MOTORE SUO
SIMO,
BIT
DAM Stenger/
AUTOR.
M DC LXXVIII.
GÜNTHERI.

